



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-585678-p0001-8

DFC



172.
DISPUTATIO IURIDICA
De 1623, 3
RESTITUTIONI= 4
BVS IN IN.
TEGRVM 7

Quam

DUCE ET AVSPICE CHRISTO

PRAESENTE

Viro Clarissimo & Consultissimo

DN. HENRICO Schmerhem
I. V. D. & in illustri IULIA Decretalium
Iuris Pontificii Professore ordinario, Me-
cenate, Præceptore, ac Promotore suo
æternum colendo

Publicè

Ventilandam proponit

FLORINVS Førstenow Vordâ-
Bremensis.

ad diem 1623

In novo Iuleo

HELMÆSTADI,
Typis heredum Iacobi Luci,

Anno cle Iec XXIII.

*Præstantib. ac doct
Dñm Albertū Greb
Card. amicū
Mēum singulāriter
randū ad apponendū*





CONCLUSIO I.

PVAMVIS JUS CIVILE PER SE CONSIDERA-
TUM, AQUISSIMAM HABEAT RATIONEM,
ITA, UT DE CIUS INIQUITATE QUERI, ABSUR-
DUM SIT; NONNULLA TAMEN DEPREHEN-
DUNTUR, QUAZ CERTO RESPECTU DURITIEM
ALIQUAM PRÆSE FERUNT.

II.

IDEOQ; PRÆTORES ADJUVANDI, SUPPLENDI, CORRI-
GENDI JURIS CIVILIS GRATIA, JUS ALIQUOD OB UTILITA-
TEM PUBLICAM INTRODUXERUNT, QUOD AB AUTHORI-
BUS PRÆTORIUM, & PROPTER EORUNDREM HONOREM
HONORARIUM APPELLATUM EST.

l.7. s.1 ff. de Inst. & iure. s.7. Iust. de Iure Nat. Gent. & Civil.
Prætores non poterant tollere ll. aut jus civile: Ejus
siquidem est tollere cūjus & condere l. als. C. de LL.
sed adjuvare, supplere, & corriger poterant, & a-
liud est corriger, adjuvare, supplere aliud verò tol-
lere. Tollit qui facit ne jus sit, quod antea fuit. Corri-
git vero qui salvo pristino jure facit ut jus novum sit
Exempli causā. Lex 12. tabularum vocat suos dun-
taxat hæredes ad hæreditatem paternam ab intesta-
to, Prætor emancipatos vocat ad bonorum posses-
sionem, ex edito scab. testam. nulla extabunt u-
deliberi. Et ita corrigit jus civile & non tollit, cum
facit ut qui jure civili hæredes nullo modo esse pos-
sunt, jure prætotio sicut bonorum possessores.

A 2

Sig

Sic quando adjuvat jus civile, non tollit, ut cum
bonorum possessionem dat hæredibus rite scri-
ptis secundum tabulas, & suis hæredibus ab in-
testato ex capite editi *Vnde liberti*. Et quando sup-
plet nō tollit ut in edicto *Vnde vir & uxori, & simil.* Hic
dubitari solet unde Prætores hanc potestatem ha-
buerint, jure nè magistratus sui, an vero speciali ali-
qua conesse, sive ea per legem latoriam, sive
per Lectoriam, sive plectoriam, aut pratoriam? Et
licet videatur prætorem vi Iurisdictionis suæ, & jure
magistratus Calendis Ianuariis edita proposuisse,
verius tamen est, prætorem non jure magistratus
propriè, sed ex speciali quadam populi indulgentia
id fecisse: magistratus enim officium consistit in jure
postulantibus reddendo & decernendo. Edice-
re autem non est jus reddere aut decernere, sed
quod jus dicturus, seu redditurus prætor suo anno
est, proponere. *Annon. Goveanus l. 1. de Iurisdict. num.
8. & 12.*

III.

Hinc est, ut reum jure civili damnatum jus præ-
torium justâ de causa quandoq; liberet, liberan-
doq; datum absolutum.

*l. 16. ff. de Minor. l. 4. si adversus rem judicatam. l. 3. C. ff. ad-
vers. liberti. l. verum ii. §. 3. ff. de minor. l. 5. C. de integ.
restit.*

IV.

Idque fit per integrum restitutionem, quæ
propterea dicitur extraordinarium juris remedi-
um, contra rigorem juris civilis inventum.

l. 16.



l. 10. in pr. ff. de minor. l. 7. ibi etsi nihil immutandum ex
solennibus ff. hic. V. Resemb. in parat. num. s. & Dd.
communicetur. Dissentit Zafius sing. resp. 20. Et notan-
dum vario respectu aliquid dici iure nostro ordi-
narium & extra ordinariis. 1. Ratione solennita-
tis veteris. s. ult. Inst. de Interd. 2. ratione originis
& causæ efficientis. 3. genere persequendi l. fin. ff. de
furris. Restitutio dicitur remedium extraordina-
rium ratione originis: quia noti competit ordinari-
o, id est, iure communi & civili; sed extra ordinem
contra rigorem juris civilis, præatoria benignitate.
Gæddaeus in l. 34. in fin. da V. Signif. 38.

V.

Inde nonnulli, minus tamen recte, concludunt,
restitutionem omnino juri gentium, & æquitati
naturali esse contrariam.

Glossa in l. 1. verb, naturalē æquitasem ff. de minor. Nam
ciderit æquitati, quæ vult conventiones servari, ini-
quas conventiones rescindicō convenit. Nec movet,
æquum esse contractus iure validos servari, & ini-
quum eos rescindī. Quoniam aliquid per se consi-
deratum æquum & justum, sed cum circumstantiis
personæ, etatis, metus, dolii &c. iniquum & inju-
stum meritò haberi potest. Quod eleganter Impera-
tor Iustinianus in pr. & s. 1. Inst. de Percept. declarat Sæ-
pè. inquit, accidit ut licet ipsa persecutio, quâ actor,
experitur iusta sit, tamen iniqua sit adversus eū, cum
quo agitur. Verbi gratia, si metu coactus, aut dolo
inductus, aut errore lapsus, stipulanti Titio promi-
sisti, quod non debueras promittere, palam est, iure
civilite obligatum esse, & actio quo intenditur, da-

A 3

recte



re te oportere efficax est: sed iniquum est te conde-
mnari. Ideoq; datur tibi exceptio, quod metus cau-
sa, aut dolus mali, aut in factum composita ad impu-
gnandam actionem.

VI.

Hujus materiæ cum tanta sit utilitas, ut teste
IC. commendatione non egeat, quin ipsa se ostendat, de hâc in præsentiarum aliquid proposituri,
non quidem quantum ad plenam hujus materiæ
tractationem, sed quantum ad placidam collatio-
nem satis est, & ad pleniorem disquisitionem an-
sam præbere potest, suppeditabimus.

I. ff. de Restit. in integ.

VII.

Et ut à vocabulis, eorumq; significatione exora-
diāmur: Restituere nihil aliud est, quam retrò
statuere, dare & reddere, sive reponere in eum stat-
tum, quo fuisset si nihil circa id, cuius gratiâ resti-
tutio desideratur, factum esset.

I. 20. ff. de rei vind. l. 75. ff. de V. Signif. Cicer. in orat. pro Cæ-
cina. Menoch. in pralud. recuper. poss. num. 4. VVesemb.
in parat. n.s.

VIII.

In hâc significatione omnes dicuntur restitui,
qui ex quacunq; causâ, sive ea ordinaria sit, sive ex-
traordinaria, in pristinum statum reponuntur.

VVesemb. in parat. num. 5. Ordinaria est duplex: alia
quæ locum habet in damnatis ex causâ criminali,
quæ principibus tantum competit l. divi fratres 27.
§. 1. ff. de pænis. Olim etiam Senatui competit l. r.

§. 10.



l. 10. ff. de postulando, 1010 tis. ff. & C. de sententiam passis &c. Alia verò est quæ locum habet in causâ civili. Exempla passim in jure sunt obvia l. 2. C. de resc. vend. & l. 3. C. ex quibus causis maior. At autem remedia extraordinaria cum ordinariis concurrant questionis est. Distinguendum putamus: vel competunt adversus unam eandemque personam, vel adversus diversas. Hoc casu concurrunt: nam pupillus contrahendo læsus adversus contrahectem restitutio ne in Integrum, & sic extraordinario, & adversus tutorem actione tutelæ, ordinario remedio experiri potest, electivè tamen & non cumulativè, nisi in subsidium l. etiam 3. l. fñ. C. si tutor vel curator interven. Zas. l. 1. respons. sing. 20. num. 22. Priori vero casu, non concurrunt, nisi extraordinarium sit plenius & expeditius remedio ordinario. Sic minor ultra dimidium justi pretii læsus, restitutio ne in Integrum uti potest, vel remedio l. 2. C. de rescind. vend. quoniam hoc intentato, electio emptoris est, an pretium supplere, an vero rem restituere velit, quæ restitu tione in integrum petita, ipsi de negatur.

IX.

Hic vero strictius accipitur, quando videlicet læsi vel circumscripti ex jure prætorio in pristinum statum reducuntur & reponuntur.

Vt in toto tis. ff. C. & extra de restit. in Integr.

X.

In hac significatione restitutio rursus simpliciter accipi solet. 1. pro restitutio nis imploratio ne. 2. pro restitutio nis actu. 3. pro actione rescissoria. Paul.



*Paul. 1. sene. cap. 7. §. 1. & seqq. l. quod si minor. 24. §. resti-
tutio q. ff. de minorib. at templo oratione ad d
uos spiritus & deinde in XI. ini mille elementis*

XI.

*Restitutionis Imploratio, est actio, qua quis
causæ laſæ redintegrationem fieri petit.*

9. S. & ff. de procurat. l. 16. m. pr. ff. de minor. l. 2. C. in quib.
causis restitutio in Inseq. necessaria non est Bocer. classe 6.
6. disp. 10. th. 2.

XII.

Restitutionis actus est ipsa causæ læsæ redintegratio.

1. s. ult. ff. ex quibus causis maior. Hic actus restitutio-
nis actio non est, sed Iudicis factum restituentis Bo-
eer; d. diss. 1b. 3.

XLI

Actio rescissoria est, quæ per redintegratio-
nem, & obstaculi remotionem renata est.

icitur rescissoria, non quod actum aliquem rescindat, sed quod actu rescisso, & sic obstaculo remoto detur s. s. Inst. de actionibus. l. 35. de obligat. & actionibus. Diciturq; restitutoria & restitutio, quia restituitur actio amissa. Aliquando tamen nova actio datur, quæ nunquam competit: l. 43. ff. ex quibus causis maior. Vnde nonnulli rescissoriam duplicem faciunt, institutoriam & restitutoriam.

XIV.

Restituebat olim in Integrum Prætor tantum,
hodiè omnes qui certæ administrationi, cui & ju-
risdictione adhæret, præpositi sunt. *l. 1. 1. 3. & 5. ff. h. iii. l. ult. C. ubi & apud quem.*

Vnde

XV.

Vnde præfetus prætorio, Præfetus Vrbij, Præses provinciæ, Proconsul, & Procurator Cæsaris rectè in integrum restituunt.

*I. u. ff. de offic. præfeti pres. l. i. l. 2. h. l. c. ubi & ap. quem. l. 2.
C. s. adversus sise.*

XVI.

Et non tantum hi, sed etiam illi, quibus ab his omnis jurisdicō, vel hæc species mandata est, in Integrum restituere possunt.

Non enim competit ex speciali legis concessione sed jure magistratus. Et quæ jure Magistratus competunt mandari possunt. *I. i. ff. de Offic. eius cui manda-
ta est jurisdict.*

XVII.

Et multo magis illi quibus ab Imperatoria Ma-
jestate causarum audientia delegata est.

*d. l. fin. Quia judex à Principe datus in causâ sibi com-
missa quovis ordinario superior est. c. pastoralis II. §.
s. de off. ordin. l. sane II. de off. delcg. arg. l. 18. §. pen. ff. de
minor.*

XIX.

Minor tamen Magistratus contra sententiam majoris restituere non potest.

d. l. 18. in pr.

XIX.

Hinc contra sententiam à præfecto prætorio latam, aliis Magistratus non rectè restituit.

*I. unica in fin. de off. præfeti pres. Nam præfetus prætorio
cæteris omnibus imperio & dignitate antecellit l. i.
C. de off. Vicar. & rerum summam obtinet. l. quilibet de*

B

degn-

decurionib. Ipse tamē contra sententiam à se latam restituere potest, quamvis ab hac appellari non possit. Hæc idcirco tam variè: quia appellatio quidem iniuritatis sententiae querelam; in integrum vero restitutio erroris proprii venia petitionem, vel adversarii circumventionis allegationem continet. l.17 ff. de minor.

XX.

Item, si quid à procuratore Cæsarīs judicatum est, id per in Integrum restitutionem præsidis sententiā rescindi non potest.

L.1. C. ubi & apud quem. Nam solus Princeps contra sententiam suorum procuratorum restituere solet. d. l.

XXI.

Sic si iudex ab Imperatore datus cognoscat, restitutio ab alio, nisi à Principe, qui judicem destinavit, non fiet.

l.18. §. 4. de minor. vide sup. th. 17.

XXII.

Hæc ramen quæ diximus non obstante, quin alius Magistratus contra sententiam à se latam, restituere possit.

l.16. §. 11. l.17. l. præses. 42 ff. de Minor. Quod de ordinario intelligimus Magistratu non de delegato, hujus enim officium ac potestas, dicta sententiā finitur. Et omnes illi de quibus in præcedentibus diximus, contra sententiam suam restituere possunt, nec excipiimus procuratorem Cæsarīs, nec judicem à Casare datum. Cum enim traditur Cæsarem solum adversus horum sententiam restituere. *l.3. C. si adversus rem iud.*



14

*sud. l. 1. C. ubi & apud quem l. 18. §. 4. ff. de minor. id tan-
tum negatur, alios qui eam sententiam non dixerunt
posse. Cuiac. d. l. 18. §. 4.*

XXIII.

Cum vero arbiter & judex pedaneus talem ad-
ministrationem, de quâ dictum est, non habeant, in
integrum restituere non possunt.

*l. fin. Vbi Bart. n. 4. Duaren. C. Vbi & apud quem. cap. pen. ex. 2.
hic VVurms. I. pract. obser. tit. 3. obs. 3.*

XXIV.

Et hoc jure civili adeò verum est, etiamsi resti-
tutionis quæstio inciderit; secus verò de Iure ca-
nonico.

*d. l. fin. d. c. pen. c. P. & G. 40. de off. delegat. cap. 2. de iuram,
calumn. Multa quidem etiam de jure civili admit-
tuntur incidenter, quæ principaliter admitti neque-
unt. l. 1. C. de Ordin. judic. & generalis videtur esse
determinatio. l. 3. C. de judic. Cæterum illa neuti-
quam nos movebunt propter d. l. fin.*

XXV.

An autem Magistratus municipalis in integrum
restituere possit, controversiâ non caret. Nos ne-
gamus.

l. 26. §. 1. ff. ad municipal.

XXVI.

Restitui in Integrum possunt non solum qui læsi
sunt, verum etiam illorum successores.

l. 6. ff. hic. l. 3. §. 9. l. 18. §. fin. ff. de minor.

XXVII.

Et hoc de successoribus Universalibus expedi-

B 2

tum



tum videtur, de particularibus major est dubitatio.
Nos & hos cessione principalis in integrum resti-
tui posse arbitramur.

ad. II.

XXIX.

Fideiussoribus quoq; hoc in integrum restitutio-
nis remedium competit, si ob causam datur, non si
ob personam.

*l. 7. g. 1. ff. de except. l. 1. l. 2. C. de fideiuss. minor. l. 25. ff. de fide-
iuss. Si debitor sive sit minor sive maior. 25. annis, do-
lo vel metu adversarii laesus sit, utriq; consultur
tam fideiussori quam principali, secus si tantum fa-
cilitate, & labrico etatis lapsus sit, ne videlicet
decipiatur creditor qui sibi perfideiussionem consu-
lere voluit. Et hoc procedit sive sciverit hunc mi-
norem, sive ignoraverit. Si sciverit, sibi imputet
fideiussor, qui conditionem minorum non igno-
rans pro eo ultro intercessit. Si ignoraverit, pro-
priam allegat turpitudinem, nec juyatur, cum in-
quirere & scire debuisset conditionem illius cum
quo contrahit l. qui cum alio ff. de reg. juris. l. quod i eff.
si cersum pesatur l. quisquis C. de res. vendit. Myns. 4. ob-
serv. 19. VVesemb. in parat. C. de fideiuss. minor. Hering. de
fideiuss. cap. 27. part. 4. n. 113.*

XXIX.

Quid dicendum de litis consortibus, an uni
hoc beneficium concessum, prosit omnibus? Di-
stingimus, aut res de qua litigatur, dividua est,
aut individua. Posteriori casu prodest; priori vero
non.

*Rei enim individuas facit, ut non nisi in solidum re-
stitu-*



4

stitutioni locus esse possit, etiam si is qui restitutus
est, sit minor, quia si non prodesset maiori, nec mi-
nor ob individualitatem prodesse posset. Coler. decr. 273.

XXX.

Non datur autem hoc beneficium nisi duo con-
currant: læsio & læsionis justa causa.

Nam quando causa est integra, & jure cōmuni servatur,
redintegratione restitutionis non est opus: privatio
enim præsupponit habitum. Quare ubi ipso jure
gessa non tenent, restitutio non requiritur. l. 2. &
80. tit. C. in quib. caus. restit. in integ. necessaria non est.
l. 16. in princ. ff. de minor. Diss. Anton. Faber. in d. l. 16.
qui putat non debere quidem dari, sed posse ex abun-
danti & non necessarij ad. II. l. 17. C. de præd. minor. At
imò non debere & posse contraria sunt; nam quod
non debet fieri, prohibitum, quod potest permis-
sum. Exceptio tamen nullitatis cum restitutionis
Beneficio alternativè recte cumulatur. cap. con-
stitutus 8. X. hic Decius in l. nemo ex his de R. Iuris.

XXXI.

Non tamen quævis læsio sufficit: Quippe con-
stitutum est ne propter satis minimam rem vel
summam si maiori rei vel summæ præiudicetur, au-
diatur is, qui in integrum restitui postulat.

b. 4. ff. h̄c l. 9. §. ult. l. 10. ff. de dolo malo. & hoc generali-
ter verū est, de læsione quæ est ex dolo, quâ, cum
famosa sit, parcissimè est utendum. d. §. ult. In cæteris
vero procedit si rei majori præjudicium faciat Cuiac.
in d. l. 4. Don. in l. 2. C. de rescind. vendit. parte 1. c. 1. n. 25.
Quomodo autem rei majori præjudicium fias sumpro exem-
pli ex l. fundum 16. l. rei maioris 21. ff. de except. declarati
potest

XXXII.

Causa læsionis debet esse talis, quæ iniquam læsionem faciens, ipsam restitutionem justam suadet. ut M E T V S:

*l. 7. ff. hic l. metum 9. §. 7. ff. quod metus causa. Duar. ad sis.
ff. de rest. in integrum Cuiæ. ad rubr. d. tit. Parlador. lib.
x. verum quosid. cap. 3. §. 5. num. 12. Dissent. Denell. 21.
comm.s.*

XXXIII.

M E T V S est instantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio.

l. 1. ff. hic. Cic. 4. Tusq. quasf. Arist. 3. Ethic. 6.

XXXIV.

Genera metus Dd. quinq; faciunt, quæ non incommode ad tria summa capita redigi possunt. Ad primum referri possunt minæ, quæ cum non habeant metum præsentem, sed suspicionem inferendi ejus, restitutioni locum non faciunt.

l. 9. ff. hoc sis. nisi capirales sint, & ab eo, qui eas exequi solet, effusa. l. 7. C. d. tit. Licet alias sufficient ad impetrandam cautionem de nō offendendo, si non sine clusoriæ. l. 5. C. de his qui ad Eccles. c. literas. 13. § fin. de rest. spol. VVesemb. in parat. hic num. 3.

XXXVI.

Ad secundum, reverentia & potentia. Horum neutrum justa læsionis causa est, nisi minæ ad effetū perduci solitæ, vel facti atrocitas intervenerit.

l. 23. in pr. ff. l. 6. l. fin. C. b. 1. l. 22. ff. de ritu uupt. Proinde ad metum arguendum per quem quis dicit initum esse contractum, dignitas vel potestas adversarii non est



idonea. d. l. 6. Nec filiusq; qui patre cogente uxorem
ducit, quam non duxisset, si sui arbitrii fuisset non
restitutur. d. l. 22. Idem in metu reverentiali coniu-
gum observatur. *VVurms. pract. 39. obs. 18.*

XXXVI.

Ad tertium caput refertur factum, ex quo non
vanus metus, sed talis, qui in constantissimum ca-
dere potest oriiri solet.

l. 3. s. 1. l. 5. l. 6. l. 7. ff. hic. Et metus ex personæ cuiuscq;
qualitate, rerumq; circumstantiis estimari debet,
constat enim alios aliis esse timidiiores, & naturâ mu-
lieres facilius commoveri quam viros, etiam si in
thesi verum sit, justissimum, quiq; in virum con-
stantem cadat, metum requiri, quoad intentionem
fundandam *VVesemb. in parat. hic n.s.*

XXXVII.

Qualis est metus mortis, cruciatus corporis, ser-
vitutis, stupri, vinculorum, privati carceris.

l. 7. l. 8. l. 9. l. 4. ff. h. tit. Paulus 1. sent. c. 7.

XXXIX.

Nec interest in se haec quis vereatur, an in con-
juge & liberis, qui pars corporis, affectusq; sunt, &
de quibus non minus quam nobis met ipsi, sæpè
etiam amplius laboramus.

d. l. 8. in fin. h. VVesemb. d. loco.

XXXIX.

Sed quid dicendum de metu deportationis, bo-
norum, & infamiae, an inter justas læsionis causas
referri debeant?

A. animabiv. non proprie. n. loca. iv. p. p. b. o. p. 30. l. 14.

De



De metu deportationis affirmamus; modo deportationem minatur is qui deportare potest. arg. l. 4. ff. hic §. 1. Inst. Quibus modis jus parr. potest. l. 1. §. 8. ff. de bonor. passio[n]e contra tab. Idem de metu bonorum quæ sunt quasi alter sanguis mortalium, si generatim omnia sint metu expôsta, cap. 2. ext. b. sic. De Infamia negamus l. nec timorem 7. ff. hoc sic. Infamia enim non irrogatur nisi lege vel facto turpi. l. 1. & tot. tit. ff. & C. de his qui notantur infamia.

XL.

De hâc lesionis causâ ita edicit Prætor, QUOD METUS CAUSA GESTUM ERIT, RATUM NON HABEO.

l. 1. ff. b. sic. Hanc lesionis causam introduxit L. Octavius Prætor Cic. in verr. l. 5. eamq; edicto proposuit, promisitq; in hunc modum, Quod vi metusve causa. Nam veteres non sine ratione, vim à metu distinxerunt: Nam vis est majoris rei impetus, qui repellere non potest l. 2. ff. b. sic. ut cum inevitabili violentiâ aliquid alicui cripitur, & principium actionis aliunde & extrinsecus venit. Metus autem est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio, & actionis origo existit intus in paciente. Quo casu verum est, coactam voluntatem esse voluntatem, & rigore juris obligare. l. 21. ff. si metus. b. sic. Eligit enim ex duobus malis quod minimum est, & maxime contrahere quam interfici, vel aliud gravius malum pati Arist. lib. 3. Eth. Postea vero prætores, qui populariter cum populo, cuius maxima pars inter vim & metum non satis peritè distinguere novit, agere voluerunt, vis mentionem detraherunt, quia quocunq; vi atroci sit metu quoq; fieri videtur. l. 1. ff. b. sic.

41. Nec



XLI.

Nec immerito, quia metus liberam voluntatem tollit, siquidem principium voluntatis intuemur, non actum quo volumus, eligimus.

*l. 17. in pr. ff. Qui & à quib. manumiss. c. merito 15. q. 1. Cuiac.
16. obs. ult.*

XLII.

Ait Prætor: RATVM NON HABEBO.
Quid igitur faciet? Metum passus amissæ rei, vel cauſæ redintegrationem, cognitâ causa, tribuet.

*Paul. i. recept. sens. 7. in pr. Tribuet redintegrationem,
si postulata, desiderata, petita fuerit, non enim nisi
imploratus suum officium impertit magistratus l. 18.
ff. comm. divid. l. ult. C. de fidei comm. libert.*

XLIII.

Factâ redintegratione, locus est actioni & exceptioni. Actio vel est vetus, vel nova.

l. 9. §. 3. & seqq. ff. b. iie. l. 21. §. ult. ff. cod.

XLIV.

Vetus est actio illa, quæ metum passo ante illatum metum competiit; & pro varietate, ejus quod metu gestum est, vel in rem est, vel in personam.

d. l. 9. §. 6. d. l. 21.

XLV.

Actio in rem datur, ad repetendam rem, quam metu coactus vendidit, permutavit &c. & possessionem tradidit.

d. l. 9. §. 4. & 6. l. 3. C. eodem. Et hoc procedit, etiam si emptor rem metu empræ alii vendiderit ac tradidit.

C

rit.



rit. d. l. 3. Licet enim hæc res sine metu secundo em-
ptori vendita fuerit , & proinde videri posset , non
debere illi qui sine metu , & bonâ fide emit , rem auf-
feri , cum tamen vitium metus , initio contraëstum
à venditore , noceat quoq; emptori l. vitia i. de acquir.
possess. l. 17. de divers. & temp. præscript. datur hæc actio
primo venditori adversus secundum emptorem ad
rem metu venditam recuperandam. d. l. 3.

X L V I.

Actio in personam datur illi , qui per metum de-
bitoris suo acceptilatione vel alia liberatione debi-
tum remisit.

d. l. 9. §. 4. & 7. d. l. 21. §. ult. Diss. Dd. qui pristinam in
rem quidem actionem concedunt , in personam non
item , quod liberatione fuit extinta . Sed si hæc ra-
tio concluderet , nec in rem actio restitueretur ,
quippe cum & ea alienatione stricto jure fuerit ex-
tincta , licet jure Prætorio , considerato sc. eventu
rescissionis in bonis metum passi id quod alienatum
est , mansisse dicatur. d. l. 9. §. 6. arg. l. 17. ff. de acqui-
renda possess. Dissent. Baldus Sichard. ad d. l. 3. Qui inter
Dominum directum & utile distinguunt.

X L V I I.

Vetus hæc actio tam in rem quam in personam ,
rescissoria , item restitutoria appellatur , quia ex re-
scissione & restitutione præatoria datur , ideoq; uti-
lis est non directa.

d. l. 9. §. 3. l. ult. §. pen. ff. l. 5. C. b. 1. l. 21. §. ult. ff. cod. Nam
directa semel amissa in perpetuum non restituitur
l. 98. §. 8. ff. de solus. l. 66. §. 1. de leg. 2.

48. Nova



XLIX.

Nova actio quæ metum passo datur, à primis e-
dicti verbis QVOD METVS CAVSA dici-
tur, est personalis in rem scripta.

d. l. 9. §. fin. §. præterea 31. Inst. de Action. quia ex delicto
oritur d. §. 31. in rem tamen scripta. Nam non tan-
tum datur contra eos qui metum intuleré, sive unus
sive plures, sed contra omnes qui lucrum hinc per-
cepérē, adēcō ut non queratur, utrum is qui conve-
nitur, an aliis metum intulerit. Sufficit enim do-
cere, metum esse illatum, & ex hāc re eum qui cum a-
gitur, et si crimine caret, lucrum perceperisse l. 14. §. in
hāc actione. h. s. d. l. 9. §. fin.

XLIX.

Et arbitria. Quia judex arbitratur & jubet
rem intra certum tempus restituī, & si reus non pa-
reat in quadruplum condemnat.

d. l. 14. §. 4. d. §. præterea. l. 4. C. b. tit. Et quidem si per
metum res tradita sit, cum omni causa & fructibus,
præstata dolii mali cautione restituitur, vel condem-
natio sit in quadruplum. Sin autem pecunia debi-
ta per metum accepto lata sit, reus pecuniam solve-
re debet, quod si non fiat in quadruplum condemnata-
tur. Sed hæc condemnatio in quadruplum, cui etiam
simplum inest, datur tantum intra annum. d. l. 14. §. 1.
post annum vero causâ cognita in simplum d. l. 4.
C. b. t.

L.

Et cum post iussum judicis usq; ad condemna-
tionem in quadruplum tempus aliquod interce-
dat, consequens est, una eademq; sententia jus-
sum

C 2



sum & condemnationem non expediri. Vtrum autem hic iussus sit sententia interlocutoria, an vero definitiva, controversia non caret. Nos eum interlocutoriam esse sententiam defendemus.

d. l. 14. §. in hac actione 4. & seqq. Dissent. VVesenb. in parat. n. 6. quem sequitur Bachov. ad Tr. hic, ib. s. lit. B.

L I.

Et licet in arbitrio metum passi sit, utrum hanc, an pristinam actione experiri velit, unam tamen electa altera consumitur.

d. l. 9. §. 4. & 6. l. 21. §. ult. cod. Ne bis idem petatur: Nam & Quod Metus Causa actio rei persecutio- nem continet. Nec vero si prius actum sit, in rem, superest in triplum actio metus causa, quia huic a- cioni inest hanc conditio, nisi restitutio fiat. Itaque rei restitutione vel exactione evitetur pena tripli Cau- iac. add d. l. 9.

L II.

Denique exceptio quoque datur, quae quis adversus eum, qui ex obligatione metu extortam agit, se defendere potest.

d. l. §. 3. IC. Vlpianus actionem & exceptionem admit- tit sive res sit perfecta sive imperfecta. Re perfecta locum esse exceptioni inquit Bartol. add. l. quando res forte ad eum qui metum passus est, rediit: quamvis etiam ubi promissio sola facta est, res suo modo perfecta dici possit. Bachov. d. l. 1.

L III.

Secunda causa quae restitutioni locum facit est DOLVS malus, qui definitur calliditas, fallacia, machi-

machinatio ad circumveniendum, fallendum, de-
cipiendum alterum adhibita.

*b. 1. l. 7. §. 1. ff. de Restituſ. in integrum. Iul. Paul. l. 1. ſent. 11. 16.
7. §. 1. l. 1. §. 2. ff. b. tit.*

LIV.

Additur M A L V S : quoniam yeteres dolum et-
iam bonum dicebant, & pro solertiā hoc nomen
accipiebant: maximē si aduersus hostem, latronem-
ve quis machinaretur.

l. 1. §. 3. ff. b. c. dominus 23. q. 2. Gell. 12. noſt. Attic. c. 9.

LV.

Qui dolus, si contractibus bonæ fidei causam de-
derit, ipso jure sunt nulli.

l. 7. in pr. ff. b. tit. l. 16. §. 1. ff. de minor. l. 3. §. fin. ff. pro sociis.

Zasius in §. actionum 28. n. 44. ibid. Donell. n. 26. l. de act.

Cuiac. 8. obſerv. 8. Diff. Ioh. Robert. lib. 3. animad. c. 1. 2. & 3.

LVI.

Quod si dolus causam non dederit, sed dunta-
xat in contractum bonæ fidei inciderit, vel actione
ex illo contractu descendente, vel doli exceptione
vindicatur.

d. l. 7. §. non ſolum. l. 9. in pr. ff. eod. l. 6. §. fin. l. 11. §. 5. l. 13. §.

4. & 5. ff. de act. empt.

LVII.

Idem de contractibus stricti juris, sive dolus de-
derit causam sive inciderit, dicendum arbitramur.

*d. l. 7. §. 3. l. 2. ff. de dol. & met. except. l. 22. l. 36. ff. de Verb. ob-
lig.*

LIIX.

Quapropter actio de dolo non dabit nr. Quo-

C 3

cunq;

cunq; enim modo quis tutus est, sive exceptione,
sive actione civili, honoraria, pœnali, vel etiam po-
pulari hæc regulariter denegabitur.

l. 1. §. 3. l. 2. §. 7. in pr. §. 1. & seqq.

LIX.

Regulariter dicimus. Nonnunquam enim cum
aliis actionibus concurrit, ut cum actione quod
metus causa, quo tamen casu altera per alteram
consumitur, exceptione in factum oppositâ.

l. 13. §. 14. ff. Quod metus caus.

LX.

Est autem actio de dolo arbitraria, in quâ resti-
tutio fieri arbitrio judicis jubetur, & nisi fiat, sequi-
tur condemnatio quanti ea res est.

*l. 18. in pr. b. sit. Ideo autem hîc & in actione QUOD
METVS CAVSA certa quantitas non adjicirur, ut
possit per contumaciam suam tanti reus condemna-
ri, quanti actor in item juraverit. Sed officio judi-
cis debet in utrâq; actione taxatione jusjurandum re-
frenari. Non tamen semper in hoc judicio arbitrario
judicis dandum est. Quid enim si manifestum sit, re-
stitui non posse? Ideoq; protinus condemnari debet
in id quod actoris interest. a. l. 18. §. 1.*

LXI.

Adversus omnes datur qui dolum commis-
erunt, eorumq; hæredes si quid ad eos pervenit.

*l. 13. l. 13. in fin. l. 26. cum ll. seqq. b. i. Et sufficit, si vel mo-
mento pervenerit ad hæredem, nec si fortè id con-
sumperit, ideo hæc actione tenetur minus. Datur
adversus hæredem sine cause cognitione, & perpe-
tuò,*



tuò, quia est persecutoria & non famosa. l. 28. l. 29. l.
30. ff. b. 1.

LXII.

Si plures dolo fecerint, & unus restituerit: omnes liberantur. Quod si unus quanti ea res est præstiterit: adhuc cæteros liberari putamus.

d. 6. 17. in pr. b. 1.

LXIII.

Cæterum hæc dolii actio quoties cessat, vel quia tempus legitimum præteriit, vel quia reus ex eorum numero est, contra quos famosæ actiones nondantur, toties perpetua in factum succedit actio.

l. 11. ff. b. 1. l. 5. C. cod. Olim anno utili, hodie ex constitutione Constantini biennio continuo terminatur, quod ex die dolii admissi computari oportet, ita ut nec litis contestatione eam perpetuari placuerit. l.
ult. C. b. 1. Dd. communiter. Diff. Bachov. ad Treutl. his
th. 7. l. P.

LXIV.

Tertia restitutionis iusta causa est ÆTAS MINORVM.

Minor autem in hâc restitutionis causâ est, qui 25. ætatis annum nondum est egressus. l. 1. in pr. §. 1. & 2. ff.
b. 1. Et licet extreum diem 25. anni attigerit, non tamen ante horâ quâ natus est major erit: à momento enim ad momentum tempus computatur. l. 3. §.
minorem 3. d. 1. l. 6. ff. de O. & Att. Imo dies coepitus habetur pro completo l. in usucapione. 9. l. 10. ff. de usucap.
l. à quâ ætate 5. ff. qui test. fac poss. l. 1. ff. de manumiss. l. ad
remp. 8. ff. de muner. & honor. Cur hoc tam variè? Dies vel est civilis vel naturalis, ille incepitus civili ratione
habe-



habetur pro completo: hic minimè: Civilis dicatio spectatur in his quæ juris sunt, & ex legibus promanant: naturalis autem in illis quæ facti sunt, itemq; naturalia seu quæ naturali ratione valent. P̄xator autem hoc in edicto naturalem æquitatem securus minoribus succurrit d.l.i.h.t. Ceddeus ad l.2. § ff. de V. S.

LXV.

Nihil autem refert minores sint patres an filii-fam. mares an foeminæ, modo ipsorum intersit.

d.l.3. §. & 7. 103. tit. C. de filiofam. minor.

LXVI.

Hinc servi minores in integrum non restituuntur, quia Domini cui acquiritur, persona spectatur.

l.4. ff. h. tit. l.31. ff. de hered. iust. l.82. §. 2. ff. de legas. 2. Hic nota-dia differentia in causa restitutionis in integrum inter filiumfam. & servum. Filiusfam. minor 25. annis in re peculiari, restituitur in Integrum, ex his causis quæ ipsius intersunt, puta si obligatus sit & conveniatur. d. l.3. §. 4. nam quod præstítit, non potest ab alio servare. Et pater etiam ipse in integrum restitui potest, licet major sit 25. annis ne ex personâ filij conveniatur de peculio. l.27. in pr. h.t. Servus autem beneficio ætatis restitui nō potest, quia ipse ex eo quod gesit conueniri non potest, sed Dominus tantū in cuius est postate: ideoq; Domini persona non tantum spectatur in testamentis & codicillis. d. l.31. verum etiam incōtractibus. pr. Inst. de stip. serv. Si tamen servus fuit is, cui fideicommissaria libertas debebatur præsens, & fuit captus: cum re mora ei sit, poterit dici prætorem ei succurrere oportere. l.5. ff. h.t. Caiac. tract. 7. ad African.

67. Nec



LXVII.

Nec minores qui alieno nomine negotiantur
in integrum restituuntur: cum eo modo potius ma-
joribus consuleretur, cuius damno res sit censura.

l. cum mandatu 23. b. 1. Hoc verum est de minore pro-
curatore qui negotia aliena mandatu domini admi-
nistrat, quia sibi imputare debet, cur minori
sua negotia commiserit d. l. 23. Gestori vero minoris
etatis, licet dominus maior sit, datur in inte-
grum restitutio: quoniam cum domino nihil impu-
tari possit, non est aequum ob gestum minoris maio-
rem in damno versari. *l. 24. ff. b. 11.*

LXXIX.

Sic quoque minores in Integrum non restituun-
tur, qui casu fortuito factove antecessoris læsi sunt.

*l. 11. g. item 4. l. 24. g. 1. l. AEmilius 38. l. non omnia. 44. ff.
ff. b. 1. l. fin. C. eadem.*

LXIX.

Restituuntur autem minores, qui etatis faci-
litate decepti, vel ab aliis circumventi, id quod ha-
buerunt amiserunt, aut quod acquirere potuerunt
omiserunt, aut se oneri, quod non suscipere liquit,
obligaverunt.

d. l. 44.

LXXX.

Amittunt quod habent: res suas alienando, &
usucapi patiendo.

*tot. 1. C. si adv. donat. l. un. C. si adversus dozem. tot. tit. C. si
adversus vendit. tot. tit. C. si adversus transact. vel divi-
sion. tot. tit. C. si adversus rem indic. l. unica C. si adver-
sus cap.*

Dicitur in folio 71. Omit



L XXI.

Omittunt lucrum quod acquirere poterant,
hæreditatem, bonorum possessionem, legatum,
optionem delatam repudiando, vel intra constitu-
ta tempora non acquirendo.

rot. rit. C. si ut amiss. bared. vel bonor. poss. l. 7. §. 7. ff. h. r.

L XXII.

Onus minores in se suscipiunt contrahendo,
quasi contrahendo, & delinquendo.

l. 48. in pr. l. 13. in pr. l. 22. l. 31. l. ult. ff. b. 2. l. 9. §. 3. eod l. 1. l. 2.

*C. si aduers. delictum. In criminibus quidem ætatis sus-
fragio minores non iuvantur: etenim ætatis excusa-
tio non est adversus præcepta legum ei, qui dum le-
ges invocat, contra eas committit: Si vero delictum
non ex animo, sed extrâ venit, minoribus in int-
egrum restitutionis beneficium competit. d. l. 1. l. au-
xilium. 37. §. 1. vers. in delictis ff. b. t.*

L XXIII.

Non tamen minori contra minorem, nec libe-
ritis contra parentes, & libertis contra patronos,
hoc restitutionis in integrum beneficio succurri-
tur. *Hoc quis in non bona p[ro]p[ri]etate sive in debito*

*l. 11. §. pen. l. 34. hic. l. ult. C. qui & aduersus quos. Ad-
versus matres tamen quæ secundas nuptias conra-
xerunt liberi in integrum restituuntur. Nov. 155. c. 1.*

L XXIV.

Neq; minor contra libertatem, jusjurandum,
& præscriptiones temporales, quæ singulari jure
currunt, ut præscriptio 60. dierum & quinque-
nii in integrum restituitur.

h. 1. §. 2.



*l. i. l. ult. & tot. tit. C. si adversus libert. l. o. §. ult. l. 48.
§. i. b. tit. l. i. iunct. auth. Sacra menta p̄tberum. C. si ad-
versus vendit. l. 37. §. i. b. tit. l. 6. C. ne de statu def.*

LXXV.

Minori quoq; qui venundari se passus est, veni-
am ætatis impetravit, major factus ratum habuit
id quod minor gessit, aut majorem se falsò dixit,
non immetitò restitutionis in integrum beneficium
denegatur.

*l. 9. §. 4. b. tit. tot. tit. C. de his qui veniam. l. 3. §. i. b. i. tit. tit. C.
si maior fact. ras. hab. tot. tit. C. si minor. se mai. dixerit.*

LXXVI.

Quarta restitutionis causa est MINIMA CA-
PITIS DIMINUTIO. Cum enim debitor
hac capitis diminutione, interveniente imagina-
ria venditione, statum mutet, obligatio stricto ju-
re perit, & actio amittitur, quæ restituitur in ca-
pitis minutum.

*l. 2. ff. de restit. l. 2. l. 3. ff. b. 2. ex hac causâ prætor non re-
scindit quod gestum est, sed restituit actionem, per-
inde demiautio facta non fuisset.*

LXXVII.

Quinta causa est ABSENTIA.

Hanc restitutionis esse causam justissimā nemo non con-
sitebitur: absentibus enim ne capiantur, & adversus
absentes ne capiant prætor succurrit. *l. i. in pr. l. 21.
in pr. l. 22. §. i. l. 29. ff. b. 8.*

LXXIX.

Non tamen indistinctè absentibus succurrit: Aut
D 2 enim

enim absentia justa fuit & probabilis, aut non; priori casu sine ullâ exceptione in integrum restituuntur.

d. l. i. §. i. l. 26. §. fin. l. 28. ff. b. r.

LXXIX.

Si iniusta & non probabilis absentia fuerit, laesos adversus damnum, quod illo tempore passi sunt, non restitu putamus.

l. 20. ff. de minor. l. 26. §. i. ff. b. r.

LXXX.

Præsentibus verò contra absentes non defensos prætor indistinctè succurrit, nec refert justa an iniusta absentia fuerit.

l. 21. §. i. b. r. additur *non defensos*. Is enim qui Reipub. causa affuturus erat: si procuratorem reliquerit, per quem defendi potuit: contra ipsum in integrum restitu volens non auditur. l. 39. ff. eod.

LXXXI.

Sexta restitutionis causa est ALIENATIO IUDICII MVTANDI CAVSA FACTA.

l. 3. §. 4. ff. b. r. Velut cum possessor rei alienæ dolo malo cam alienat hoc animo, ut domino volenti eam vindicare duriorem adversarium suo loco substituat.

d. l. 5. l. 2. l. 3. & 101. tit. ff. & c. b. r.

LXXXII.

An autem his restitutionis causis error & ignorantia annumerari debeat, inter Dd. non convenit. Nos regulariter negamus.

Illi enim qui per errorē vel ignorantia solvit compedita condicō indebiti l. 1. l. 22. l. 23. & 101. tit. ff. & c. de condicō.



*dicitur indebit & qui promittit, ordinario jure doli vel
in factum exceptione tutus est. l. Julianus. 7. ff. de dol.
except. §. 1. Inst. de except.*

LXXXIII.

Regulariter dicimus: excipiuntur enim duo ca-
sus, in quibus error & ignorantia restitutioni lo-
cum faciunt.

*arg. l. 2. ff. de restitut. 1. Si quis cum pupilo, authore
falso tutori ignorans contrahat, aut judicio agat &
interim dum agit, actionem amittat. l. 1. §. ult. ff. Quod
fals. auth. rur. 2. Si quis major 25. annis agat intentio-
ne sua plus complexus fuerit, quam ad eum pertine-
bat, causa cedebat, nec in integrum restituebatur, ni-
si magna causa justi erroris & ignorantiae interve-
nisset: veluti si quis totum legatum petierit, & po-
stea prolati fuerint codicilli, quib. aut pars legati
adempta sit, aut quibusdam aliis legata data sint: quæ
officiebant, ut plus petiisse videretur petitor, quam
dodrantem, atque ideo lege Falcidia legata minu-
ebantur. §. si quis agens. 33. Inst. de att.*

LXXXIV.

Quid dicendum de usucapione & præscriptione,
an adversus eas ex capite ignorantiae restitutio de-
tetur? Dd. communiter affirmant. Nos omnino nega-
gamus.

*l. fin. C. de prescript. lon. temp. l. 3. l. 4. C. de prescript. 30. an-
nor. Novell. 119. c. rursus fiscinus. 7. Et admisâ sententiâ
affirmativa, totum planè jus usucaptionum & præscri-
ptionum penitus everteretur, contra bonum publi-
cum, quod est ut litium tandem sit finis, nec domi-
nii*

nia perpetuò sint in incerto. l. i. ff. de usuc. VVesemb. in
par. ff. ex quib. caus. maior. n. 10.

LXXXV.

Et hæc de Personis, & causis, ob quas restituere & restitui possunt, sufficient: Consequens nunc est, ut tractetur, ubi & quomodo cognitio restitutionis in integrum sit agitanda. Nos in foro ejus, contra quem petitur, restitutionem esse petendam & peragendam statuimus.

l. 2. C. ubi & ap. quem tūm quod auctor sequatur forum rei, tūm quod eadem natura sit distractus, quæ est contractus. VVesemb. add. rit. Nonnunquam ramen non in foro rei, sed in consistorio principis restitutio in integrum est petenda, puta si postulatur ea adversus libertatem. l. 10. §. ult. l. 11. ff. de min. vel adversus sententiā à procuratore cæsarisi, vel ab eo qui vice sacrâ judicat, veluti Vicario, aut Præfecto Prætorio, vel à judice dato à Principe, latam. l. 2. C. ubi & ap. quem l. adversus 3. C. si adversus rem jud. l. 18. §. 3. & 4. ff. de minor. Vulg. 2. Iurijfr. Rom. c. 18. in fin.

LXXXVI.

Petere autem in integrum restitutionem possunt, non tantum illi qui læsi sunt; verum etiam ipsorum procuratores, ad hoc speciale mandatum habentes.

l. un. C. etiam per procur. caus. in integ. restit. agi poss. l. 25. §.
1. ff. de minor. Quæritur de personis conjunctis, an sine speciali mandato admittantur? De cognatis & affinibus negatur, nisi eius vita sit læsus, ut meritò etiam bonis ei interdici debeat. De patre, tute & reli-

reliquis liberam administrationem à lege habenti-
bus affimatur l. patr. 27. d. tit. Duar. add. l. us. Differ-
entia. Cuiac. in parat ibid. Causa tamen ob quam restitu-
tio peti debet, ut exprimatur, necesse non est, sed
sufficit clausula generalis: *Ad petendam restitucionem*
constitutus est procurator. Sic si nonnulli articuli, de
rebus speciale mandatum exigentibus, expressi fue-
rint, generali clausula adiecta, etiam ad non expres-
tos admittetur. cap. qui ad agend. 4. de proc. in 6to VVe-
sem. in par. C. ut per procur. caus. in int.

LXXXVII.

Quid, si restitutionis quæstio in judicium in-
cidat, nunquid speciali mandato opus erit?

Negamus: quoniam multa in consequentiam admit-
tuntur, quæ principaliter non conceduntur. l. i. C.
de ord. ind. l. 3. C. de jud. Et is qui procuratorem de-
dit, videtur omnia permisisse, sine quibus judicium
non potest peragil. ad legatum. 62. l. ad rem immobil. 50.
ff. de procur. l. 2. ff. de jurisd. Myns. 2. obs. 26. n. 4.

LXXXIX.

Quod si de speciali mandato dubitetur, cum re-
stitutione postulatur: interposita stipulatione, ra-
tam rem Dominum habiturum, rei mederi potest.
l. 26. in pr. ff. de minor.

LXXXIX.

Tempus quod attinet, id jure novo quadriennio
definitur, intra quod agenda & peragenda est
restitutionis in integrum causa.

l. ult. C. de tempor. in integ. restit. olim erat annis utilis,
decinde Constantinus sublato utili anno, quinq. an-
nos

nos Romæ, 4. in Italiâ, 3. in provinciis restitutio-
nari dedit. d. l. ult. in pr. sed differentias has, ut in aliis, l.
un. C. de Vſuc. transform. §. 1. Inst. de Vſuc. l. un. C. de lat.
libert. Iustinianus sustulit, voluitq; ut intra quadri-
ennium continuum ageretur & perageretur restitu-
tionis in integrum causa. d. l. ult.

X.C.

Currit hoc quadriennium minoribus quidem
ab exacto 25. anno, majoribus verò ex die sublati
impedimenti.

d. l. ult. Si minor ætatis veniam fuerit consecutus, ex co-
dic currit quo indulgentia in iudicio competenti fuit
intimata; atq; administratio rei propriæ permitta,
ita tamen, ut nunquam intra annum 25. restitutio ei-
denegetur, de his quæ ante impetratam ætatis veni-
am gessit. l. s. C. d. 1.

X.C.I.

Quid si jam tempus currere cœperit, & impe-
dimentum novum oriatur? Tempus hoc interea
cessare putamus.

d. l. ult. in fin.

X.C.II.

Ethæc, quæ de tempore restitutio in inte-
grum præstituto diximus, non tantū in restitutio-
nibus minorū, verum etiam maiorum, ex causa me-
tus, erroris, alienationis, & justæ absentiæ obtinent.
d. l. ult. dissent. Treutl. hic. th. 3. lit. A. quem sequitur Ba-
chor. in not. ibid.

X.C.III.

Excipitur tantum restitutio ex causâ capit is
minuti

mīnuti, & doli admissi; Illa perpetua est, hāc bienio continuo terminatur.

l. 2. §. fin. ff. de cap. minut. arg. §. 1. Instit. de perpet. & temp. ætion. vide sup. tb. 63. Nam Imperator de iis tantum in d. l. als. loquitur, quibus annus utilis erat præfinitus.

X C I V.

Tempus vero hāredum læsi ita distinguitur: aut minor minori hāres extitit, aut minor maiori, aut maior minori, aut major majorti.

l.s. C. de semp. in integr. restit. Cuiac. ibidem in parae.

X C V.

Si minor minori hāres existat ex suā persona, non ex defuncti in integrum restitui potest.

Paul. i. sent. 9. §. si minor. Itaq; si minor 20 annis minori 23. annis successerit, successor habebit ad integrum restitutionem non annos 6. ex personā defuncti sed 9. ex suā persona: hoc enim ipso deceptus videtur, quod cum posset restitui ex personā defuncti hoc nō fecit. l. interdum. 19. ff. de minor. d. l.s. §. 1.

X C VI.

Quod si majoris fuerit minor iura nactus, quantum ad eas pertinet causas, quas ex personā majoris fuerit consecutus, tantum temporis post legitimam æratem, ad exponendas in integrum restitutiones, decidendaq; causas accipere debebit, quantū defuncto, cuius hāres, aut bonorum possessor, docebitur extitisse, reliquum fuerat.

d. l. 19. d. l.s. §. 2.

X C VII.

Cum vero major successionem fuerit adeptus minoris:

E



noris: si quidem civili jure ex testamento successerit, mox cum fuerit adita hereditas: si vero honorario jure: ex quo bonorum possessio fuerit accepta, examinando ac terminando, in integrum restitutionis negotio, solida sine ulla diminutione tempora suppontentur.

l. 2. l. 4. l. 5. §. ult. C. de temp. restitut. l. 18. §. ult. l. seq. ff. de minorib.

XCIIX.

Si major hæres vel bonorum possessor extiterit majori, ab adita hæreditate tantum temporis habebit, quantum defuncto reliquum erat.

d. l. 5. §. ult. & ibid. Glōssā in verbo suppontentur. Speciale quid ex jure novissimo in præscriptione exceptionis non numeratæ dotis, Nov. 100. cap. 2. Ita, ut adversus illam restituī posuit minor intra annos 12, à die matrimonii contracti computandos: Quibus elapsis duos adhuc habet annos, à tempore matrimonii dissoluti. Si vero maritus intra tempus minorēnitatis decebat, ejusque hæredes majorenes sint, datur ipsis duntaxat annus.
d. Nov.

XCIX.

Temporibus his petendæ in integrum restitutionis observatis, si dilatio ab auctore petatur, quæ inter metas restitutionis valet arctari, eandem, quocunq; flagitante, causis cognitis tribui oportebit. Sin vero ejusmodi postulantur curricula, quæ intra spacium receptum angustari nequeant, dilationem petitoris denegari conveniet.

l. 6. C. de temp. in Int. rest. l. 1. C. de dilation. In eius enim arbitrio fuerat tunc inferre litigium cum petitæ dilationis mora, superitate spacio, possit includi. d. l. 6.

C.

Quod si reus dilationem postulaverit, eandem asserta causâ circa obstaculum temporis deferri statuimus.
de lege



d.l. 6. S. ult. Quia nequaquam steterat in ipsius arbitrio quando litigio pullaretur: Dari igitur debet, et si impetrata dilatio sese ultra temporis definitionem protendat. Et tum etiam actori non obstabit lapsus quadriennii, eò quod dilations communis sint. *d.l. 6. arg. l. 1. & 2. C. 5.* *adversus transact. l. per hanc 4. C. de tempor. appell. l. Arist. 5. ff. quare pign. vel hypotb.*

C I.

Portò requiritur in hoc restitutionis judicio, ut in reliquis ordinariis processibus, citatio, libellus, litis contestatio, probatio, causa cognitio.

l. in cause. 13. in fin. pr. l. un. in fin. C. si advers. dot. autb. si omnes. C. si min. ab hared. se abst. Nov. 119. cap. 6. l. ult. C. de temp. restitut. l. ult. C. si min. se mai. dix. l. 3. l. ult. ff. de restitut. in integr. Mynsing. 1. observ. 49. VVurmb. 1. observat. tit. 29. observ. 4. Quando scilicet principaliter restitutionis causa agitur, nam si incidenter ordinario ejusmodi processu opus non est, sed summaria cognitio sufficit. Mynsing. 4. observ. 21. Idem Dd. statuunt ubi ex ipsius rei natura laesio apparer. Harim. Pistor. l. quast. 37. num. 58. & seqq.

C II.

Quid autem probari debeat, disputatum novimus. Nos ista simpliciter: in integrum restitutionem petens sive jure minorum, sive jure majorum, laesionem & laisionis causam, quæ in minoribus est ætas, in majoribus metus, absentia &c. probare debet.

l. 39. in pr. l. 11. §. sciendum. 3. ff. de minor. l. 9. §. si minor ff. de iure inv. l. interpositas 13. C. de transact. Alciat. 2. presumpt. 25. Diff. Accurs. in l. de atate 43. verb. probandum est. ff. de minor. qui quemlibet presumi minorem refert. Quidam tria minori probanda tradunt, quidam quatuor. Vid. Mynsing. 4. observ. 16. & 21.

C III.

Restitutione in integrum postulata, omnia in suo statu manere debent, donec lis finiatur.

E 2 1. 44.



I. nn. C. de integ. restit. post. ne quid. nov. Quare nec sententia poterit executione mandari, quamdiu, restitutionis quæstio pendet indiscussa. *d. l.* Nec requiritur, ut statim in initio qualitercunq; restitutionis causam probet, reservata ulteriori disquisitione ad ipsum restitutionis judicium. *Mynsing. 6. observ. 80.*

CIV.

Quod si verò constiterit, animo litem differendi tantum restitutionem esse petitam, sententia nihilominus executioni mandabitur.

c. suscitata. 6. ubi panormit. X. de restitut. *Mynsing. d. obs.* Cautione tamen idoneâ à victore præstiiâ, quod in casum succubentia non tantum ipsam rem, verum etiam omnia ea quæ intermedio tempore percepit restituere velit.

CV.

Causâ restitutionis in integrum legitimè probatâ, & approbatâ, tantum restitutio restituit, quantum læsio abstrulit.

I. nn. C. de reputat. Vnde qui in integrum restituitur, sicut in damno morari non debet, ita nec in lucro: & ideo quicquid ad eum perveuit vel ex emptione, vel ex venditione, vel ex alio contractu, casu *I. pen. C.* *Quod metus caus. excepto, restituere debet*

d. l. nn. Cuiac. 16. ob-

serv. 13.

F I N I S.



Helmstedt, Diss; 1622-36




f

56.

VDT





B.I.G.

Black

White

3/Color

Red

Magenta

Yellow

Green

Cyan

Blue

8

7

6

5

4

3

2

1

0

Inches

Centimetres

Farbkarte #13

DISPUTATIO IURIDICA
De RESTITUTIONI= 1623,3
BVS IN IN-
TEGRVM

Quam

DUCE ET AVSPICE CHRISTO

PRAESIDE

Viro Clarissimo & Consultissimo

DN. HENRICO Schmerhem
I. V. D. & in illustri IULIA Decretalium
Iuris Pontificii Professore ordinario, Me-
cenate, Praeceptore, ac Promotore suo
æternum colendo

Publicè

Ventilandam proponit

FLORINVS Förstenow Vordå-
Bremensis.

ad diem

In novo Iuléo

HELMÆSTADI,

Typis heredum Iacobi Luci,

Anno cle Iec XXIII.

Præstantib. ac dol.
Domini Alberti Grot
1. II. C. dñmciū
Mēm. singul. riter.
randū ad opponendū

